D. XII. D. 159, Zambinus 1550 15458

DE STATIBVS FRANCIÆ, ILLORVMQVE POTESTATE, EPITOME.

Matthæi Zampini Recanatēſis I. C.

AD CHRISTIANISSIMAM REGINAM REGIS MATREM.

PARISIIS,
Apud Dionyſium du Val, ſub Pegaſo in vico Bellouaco.
1578.

THE NEWBERRY LIBRARY

Case
F
39
.326
1578 z

AD LECTOREM.

IN gratiam eorum, qui Italicè non norunt, ea omnia, quæ Italicè dicta ſunt, & rem Francicam ex profeſſo tangunt, Latinè etiam hic breuiter explicantur. Et quia teſtimonia omiſſa ſunt, ne illa ad germanã rerum geſtarum agnitionem deſiderentur, marginalibus notis indicatur quô ad Italicè dicta recurrẽdum ſit: vt aut ibi agnoſcere, aut cognito, qui ibi annotatus eſt ſui autoris, genuino loco, in ipſo autore ea quiſque commodè inuenire, ac perlegere poſſit. Boni conſule, & Vale.

48.-1127

DE STATIBVS FRANCIÆ, ILLORVMQVE POTESTATE.

DE *Statibus Franciæ, illorúmque poteſtate, dicere, animo verſanti mihi, imprimis occurrit, id nomen. Status multiplices ſignificatus habere, & duxi propterea Vlpiani Iuriſconſulti lege, é re eſſe, illos prius explicare, quàm inſtitutum aggrediamur: vt valeamus deinde commodius perſcrutari. Quid ſint Status. Quam poteſtatem Status habeant, Quomodo habeant, & A quo illam habeant. Quibus ex cauſis conuo-*

cari debeant, & A quo debeant conuocari. Et his cognitis, non ex dogmatibus Philoſophorum, ſed ex his definitionibus, atq; decretis, quæ ab ipſiſmet Statibus facta ſũt, à primis illis, qui ad electionẽ Pharamundi cõuenêre, ad illos vſque, qui pro tradenda, aut retinenda Burgundia, ſub Magno Frãciſco Primo, ſuperioribus hiſce annis conuocati fuerunt, tandem quid poßint Status, quid in illis hucúſque actũ ſit, agive debeat, genuina notitia profiteri poßimus.

Nomen itáque Status, & ſi apud alios profeſſores alios ſignificatus habeat, quos omnes, quia nil faciunt ad noſtrum inſtitutum, omittere decreuimus, habet apud Politicos & Iuriſconſultos duplicem ſignificatum. Vnum, quo Reipublicæ, vel Regni demonſtratur caput, & ſuprema poteſtas. Alterum, quo Regni corpus illiúſque membra deſignantur. Ex primo dicuntur negotia Status illa, quæ

ad Regem, & Regnum pertinent, & ea Cōcilia Status, in quibus illa negotia pertractantur. Hinc dixit Vlpianus Iuriſconſultus, Publicum ius eſt, quod ad ſtatū Rei Romanæ ſpectat. Et Cicero, De vi quæritis, cuius lex ad Imperium, ad Maieſtatem, ad ſtatum patriæ, ad ſalutem omnium pertinet. Et ex ſecundo poſitus eſt titulus, de ſtatu hominum, in Pandectis, Dum in hominum vniuerſorum, ob diuerſas qualitates, diuiſione hi omnes, qui eiuſdem qualitatis ſunt, ſub eodem-met ordine comprehenduntur.

Quid ſint Status.

SI *nominis vim priorem ſequimur, Status eſt ſuprema Regni Frãciæ poteſtas, Monarchia, Regnum, denique Rex ipſe, qui eſt Regni caput, & in quo reſidet ipſa ſuprema poteſtas, atque Monarchia. Et de hoc Statu, quia à ſanæ mē-*

tis homine dubitari minimè poteſt, hæc innuiſſe, ſit ſatis.

Verùm poſteriori vi nominis, Status ſunt ij ordines, in quibus vniuerſi homines Regni, qui ob diuerſas qualitates, in diuerſa mēbra diſcreti, illius corpus faciũt, ſunt comprehenſi. Et ad hos Status pertractandos, illáque, quæ ad hos referuntur, plenè explicanda, præcipuè ſpectat hoc noſtrum inſtitutum.

Vt autem corpus huius Regni, ex tribus ordinibus, conſlatur. Vno Clericorũ Altero Nobilium. Poſtremò Tertij ordinis: Prout ex tribus finibus, qui dũtaxat principaliores ſunt, ipſi homines diſtinguũtur, ita & ſunt tres tãtum Status.

Quam poteſtatem Status habeant.

POTQVAM Status ſunt membra Regni Franciæ, vt commodè cognoſcatur, quã habeant poteſtatem, cogno-

ſci prius debet, Quid ſit Regnum, & quænam ſit in ipſo Regno poteſtas.

Eſt igitur Regnum ampla quædam atque perfecta hominum communio, quæ diues nobilium, & illuſtrium, virtuti ſub vno Rege viuit. Sermo verò ſoli homini datus, moraléſque virtutes, quarum vſus explicari, ne vix quidem poteſt, abſque multitudine, ſatis indicãt communionem hanc à natura emanaſſe.

At quia nec multitudo abſque poteſtate ad internos, & externos tumultus cohibendos, eſſe, nec eadem abſque Duce diu permanere, ad virtutémque perduci poterat. Procul omni dubio certum eſt etiam, & omnem neceſſariam poteſtatem ab eadem natura conſequutam fuiſſe, & illius inſtinctu, pro commodiori, feliciorīq; ductu, ad Regis electionem deueniſſe, in illúmque eam, quam a natura acceperant, poteſtatem tranſtuliſſe. Nempe, vt id Rex ſolus perficeret, quod cõueniendi dif-

ficultate, multi ſimul facere impediebantur. Eſt igitur in Regno, & Rege, abſoluta illa omnis poteſtas, quæ pro optima peragenda vita, in quaque benè ordinata multitudinē eſſe debet.

Dicitur itaque Quòd aut Status nōdum Regem elegerunt: Et in ſe habent omnem Regni poteſtatem. Hoc clarum eſt, nec indiget teſtimonio.

Aut iam deuenerunt ad electionem. Et tunc, aut Rex viuit, & eſt ad regendū habilis, & eo caſu cum omnis poteſtas ſit penes Regem, Status nullam habent poteſtatem. Nec dici poteſt, poſt Regis electionem, poteſtatem etiam in Statibus remanere: tum quia cum Status poteſtatē habeant à natura, & natura nihil incaſſum operetur, illam duntaxat poteſtatem à natura conſequuntur, quæ eſt pro recto Regimine neceſſaria: At illam neceſſe eſt, vt Rex bene regere poßit, in Regem transferri, eſt igitur poteſtas duntaxat in

Rege: Tum quia non expediret vt eſſet etiam in Statibus, quia eſſet duo paria Imperia, quorum vnum alteri non obediret, & parerent propterea confuſionẽ, & Regni interitum: ſed natura ad conſeruationem, non ad deſtructionem impartita eſt communioni poteſtatem, poteſtas propterea non remanet in Statibus. Probatur hoc ex omnibus electionibus quæ factæ reperiuntur, in quibus nullam apparet factã fuiſſe reſeruationem. Et ex curſu vniuerſæ Hiſtoriæ Francorum, ex quo videtur, quòd Reges ſemper abſolutè gubernarũt. Teſtes ſunt, Gregorius Turonẽſis, Aimoinus, Ado Viennenſis, Eginhartus, Regino Prumienſis, Sigibertus, & cæteri omnes, qui de re Francica tractarunt.

Aut viuit Rex, ſed quia aut captus eſt ab hoſtibus, aut alio accidenti, eſt ad regendum inhabilis, ſed habet ſucceſſorem habilem. & tunc poteſtas eſt apud Regem, ſed illius exercitium, Regníque gu-

bernatio eſt apud ſucceſſorem. Docuit hoc Carolus v. Sapiens. Qui dum Ioannes pater apud Anglos captiuus detineretur, & Status Franciæ ſatis tumultuoſè quoſdam ad Regni regimen elegiſſent, profeſſus eſt ſe legitimæ ætatis ad regendum eſſe, inhibuítque illis Regni adminiſtrationem. Teſtes ſunt Gaguinus &

a fol. C/ pag. 47.

Paulus Æmilius. [a] Aut Rex inhabilis habet ſucceſſorem & inhabilem, & ante inhabilitatem Regni Regentem non conſtituit, & tunc ſtante Poteſtate in Rege, Status eligunt, qui poteſtatis & Regni adminiſtrationē habeant. Succeſſit ſub Carolo vi. dum fuiſſet furore correptus. dicunt Gaguinus, & Paulus Æmilius. Nam ſi ante, Regentem Regni ordinauerit, eo caſu Regens habet Regni, & poteſtatis adminiſtrationem. Succeßit in Franciſco Magno dum captus in Hiſpaniis detineretur: toto enim ſuæ captiuitatis tēpore Ludouica Sabauda Ma-

ter, quam ipſe ante captiuitatem Regentem declarauerat, Regnum rexit. dicunt [a] *Ferronus, & Bellayus.*

a fol.D. pagina 50.

Aut Rex viuit, ſed eſt abſolutè inhabilis, eſt talis declaratus, & non habet ſucceſſorem, & tunc Status habent poteſtatem nouũ Regẽ eligẽdi. Succeßit in Carolo Craſſo. teſtantur. [b] *Regino, Sigibertus, & Otto Friſingenſis.*

b fol.D. pag. 52. & 53.

At aduertendum hîc fore monebo, nõ eſſe in Statuum poteſtate declarare Regis inhabilitatem, nec ſufficere inhabilitatem adeò craſſam, & notoriam eſſe, vt nullo modo excuſari poßit, ſed requiri eſſe talem declaratam ab aliqua ſuprema, & non ſuſpecta poteſtate: Aliter enim daretur cuique ſeditioſo, atque quietis publicæ perturbatori aditus, ſub prætexu inhabilitatis, ad machinationes, & rebelliones in Regem, atque in publicæ pacis, & tranquillitatis, ac Regni deſtructionem. Demonſtrant hoc nobis apertè tum Childeri-

ci, tum iſtiuſmet Craſsi depoſitiones. Nã & ſi Childerici inhabilitas, quin potius ſtupiditas notoria nimis eſſet, non fuit nihilominus prius à Regno depoſitus, quã ſummi Pontifices Zacharias, & Stephanus, illum inhabilem declaraſſent, illiúſque depoſitioni aſſenſum præſtitiſſent. Et hinc dicunt ſcriptores, Pipinum autoritate Papæ Zachariæ, & electione Francorum in Regem receptum fuiſſe. Inhabilitas verò Caroli Craſsi, licet ob infortunium ſuperuenientis imbecillitatis, tum animi, tum corporis, notoria eſſet, & eſſet talis ab Imperij Principibus declarata, nihilominus vt Regino, Sigibertus, & Friſingẽſis teſtantur, non fuit prius Odo, qui illi ſucceſsit, ad Regnum vocatus, quã ipſe Craſſus è viuis ſublatus fuiſſet. Quò fit, vt electionem, quam dicunt Odonis, ego non electionem, ſed declarationem potius exiſtimem. Sed aliâs latius.

Aut mortuus eſt Rex, & reliquit ſuc-

ceſſorem certum, & habilem, & omnis poteſtas ſtatim tranſit in ſucceſſorem, qui etiam Rege viuẽte, vt Iuriſconſulti de ſuitate dicunt, erat quaſi Dominus Regni, & poteſtatis. Probatur hoc paßim in hiſtoriis Francorum,[a] ex quibus apparet, quod ſtatim mortuo Rege ſuccedit ſucceſſor, abſque vlla noua electione. Sanguinis enim, non certarum perſonarum fuerunt electiones, cum prærogatiua tamen primogenituræ, & ideò primogenitus & proximior maſculus ſemper ſucceßit. Quod tã clarum eſt in hiſtoriis, vt nõ valde mirari nõ poßim, quo iudicio aliqui hiſce diebus conati ſint perſuadere, in Merouingis, & Carlingis Regnum fuiſſe electiuum, non autem ſucceßionis hereditariæ. de quo tamen latius in particulari tractatu dicetur.

[a] folio D. pagina 57. 58. & 59.

Aut mortuo Rege, ſucceſſor eſt certus, ſed inhabilis, aut ætate, aut alio accidenti: Sed habet, qui de illo, aut diſpoſi-

tione paterna, aut diſpoſitione legali, curã gerere debeat, & tunc ſtante in Rege poteſtate, ille, qui curam habere debet, habet regimen, & adminiſtrationem Regni. Viſum eſt hoc in Childeberto Metẽſi, in Clotario II. & in Theodeberto, & Theoderico Childeberti filiis. Et minus remota tempeſtate, in Sancto Ludouico. De quorum primo, & tertiis Brunechildis mater, & Auia, de ſecundo Fredegũdis mater, & Patruus Guntrannus, & de vltimo, Blanca Mater Hiſpana, curã cum Regni adminiſtratione, geſſerũt. Teſtes ſunt,[a] *Gregorius Turonenſis, Aimoinus, Aimoini Continuator, Sigibertus, Gaguinus, & Paulus Æmilius.*

a folio D. pagina 61. 62. 63. 64. & fol. E. pag. 65.

Aut Rege mortuo, ſucceſſor eſt inhabilis, & aut non habet, qui curam de eo habere debeãt, aut ſi habet, diſcordes ſunt, & propterea ſe reddunt inhabiles, aut populi illis non obediunt, & tunc poteſtas eſt in Rege, ſed Status eligunt qui Regnũ

adminiſtrare debeant. Viſum hoc fuit in Clotario III. Clodouei II. filio, & in Carolo VI. ſub quibus, Status Regni Regētes conſtituerunt, teſtantur [a] *Continuator Aimoini, Abbas Vrſpergenſis, Gaguinus.* a fol. E pagina 66. & 67.

Aut mortuus eſt Rex, & ſucceſſor eſt per aliquot tempus incertus, vt puta, quia Regina eſt prægnans, & tunc Status deſignant Curatorem ventris, & Regentem. Apparuit in Philippo Longo poſt mortem Huttini, & in Philippo Valeſio poſt mortem Caroli Pulchri, qui ambo à Statibus creati fuerunt Regentes, & curatores. Teſtes ſunt [b] *Seyſellus, Gaguinus, & Paulus Æmilius.* b fol. E. pagina 69. 70. & 71.

Aut Rex mortuus reliquit ſucceſſorē, incertum, nō reſpectu ſui, ſed quia reliquit plures ſucceſſores, & plura Regna, & incertum eſt, in quo quiſque regnare debeat, & tunc Status aſſignant cuique Regnū. Ita fecerūt cum Sigiberto, & Clodoueo II.

Dagoberti filiis. Et cum Carolomanno, & Carolo Magno, filiis Pipini: vt dicũt [a] *Ado Viennenſis, Continuator Aimoini, & Eginhartus. Quod factum plures induxerũt ad dicendum in Merouingis, & Carlingis Regnum Franciæ diuiſibile fuiſſe: quod tamẽ falſum eſt. Diuiſerunt enim inter ſe nõ vnum Regnum, ſed plura Regna, quorũ vnum alteri annexũ non erat. Sed aliâs latius.*

a fol. E. pagina 75. & 76.

Aut Rege mortuo incertus eſt abſolutè ſucceſſor, de perſonis tamen certis. Et tunc Status ſunt Iudices, & addicunt vero Regi Regnum. Iudicarunt pro Philippo Longo, contra Ioannam Huttini filiam. Et pro Philippo Valeſio contra Eduardum quartum Anglum. Teſtes ſunt [b] *Seyſellus, Gaguinus, Paulus Æmilius, Teſtis eſt Francia, & nihil notius.*

b fol. F. pagina. 82. 83. 84. & 85.

Habent inſuper Status poteſtatem, in aliquibus caſibus qui extraordinarij

dici

dici poſſunt, etiam viuente Rege, & habile exiſtente, poſſunt iij caſus ad tria capita reduci.

Primum caput eſt, quando tractatur de alienando Regni Domanio. Non enim veriſimile eſt Status qui Regē ad ſui defenſionem, Regníque conſeruationem elegerunt, in illum poteſtatem deſtruendi, aut diminuendi tranſtuliſſe. Hinc omnes qui aliquid alienare voluêre, Status conuocauerunt. vt fecerunt, Childebertus I. Dagobertus I. & Clodoueus II. & cū Ioannes in Anglia captiuus, pro liberatione, Eduardo aliquas regni partes conceßiſſet, id Franciæ Status ratum habere recuſarunt. Et hiſce diebus Franciſcus Magnus non aliter fidem ſuam liberare potuit, dum Carolo v. Burgundiam, quā pro liberatione ex captiuitate Hiſpanica pactus fuerat, non traderet, niſi hac ſola ratione, qua ſe regni partem alienare, abſque Statuū aſſenſu, potuiſſe pernegabat.

a fol. F. pag. 90. 91. 92. 94. & 95.

Teſtes ſunt[a] Aimoinus, Froſardus, Gaguinus, Paulus Æmilius, & Ferronus.

Secundum eſt. Quando indicendum eſt bellum offenſiuum, & eadem ratione: non enim præſumendum eſt, Status, qui pro ſui tuitione Regem eligebant, in illum alios offendendi poteſtatem contuliſſe. Et ideo Reges, *cum bella capere vellent, Status cōſulebant. Hinc Carolus Magnus, Pipinus Pater, & Ludouicus Filius, quia continua bella, & longinqua tractarunt, pluries Status conuocarunt, quā omnes alij ſimul* Reges, *qui ante illos, & poſt illos regnarūt. Ita ipſi fecerūt, ita ante ipſos Theodoricus Metēſis, ita poſt ipſos, Ludouicus Iunior, Philippus Auguſtus, Ludouicus diui Pater,* Diuus *Ludouicus, & Philippus Valeſius.*

b fol.G. pagina, 98. 99. 100. 101. 102 103. 104. 105. 106 107. 108. 109. & 110.

Teſtes[b] ſunt Gregorius Turonēſis, Eginhartus, Aimoinus, Aimoini continuator, Ado Viennenſis, Regino, Vrſpergenſis, Robertus *de Monte, & Gaguinus.*

Tertium caput eſt, quando agitur de noua introducēda ſuperindictione,nouiſue vectigalibus à populo exigendis. & ratio euidens eſt. Cum enim Rex populo tuitionem, & conſeruationem debeat,propterea que illi populus,tum vt ſuū munus explicare,tum vt Maieſtatem ſuam conſeruare poßit, regalia conceſſerit, quæ ſunt Domania, gabellæ, & cætera ad Regem pertinentia iura: debet Rex illis eſſe contentus, nec ad noua ſubſidia exigenda deuenire. Quòd ſi iuſta cauſa adſit, debet Status conſulere, vt in re noua, noua auxilia conſequatur. Quod nihilominus eſt prudenter intelligendum, ni res conſultationem, & conſenſum populi non permittat. Nam ſi talis eueniret caſus,in quo inſtaret periculum,& mora eſſet ruinam paritura (quemadmodum ſi vel immineret repētinus externorum inimicorum incurſus, vel eſſet internorū rebelliū perdomāda cōtumacia) certè tūc poteſt Rex ex ſe

ipſo, & nullo populi aſſenſu expectato, quin immo & illo renitente, ad inſtar prudentis Medici, qui cognita neceßitate, vt ægrotãtem ad ſanitatem reſtituat, ac corpus conſeruet, inuitum etiam atque reclamantem illum ad pharmaca cogit, mẽbrúmque, ſi opus eſt, putridum amputat, & ſuperindictionem imponere, & omnia agere, quæ in rem ſuam & populi peragẽda iudicauerit. Ex eo enim capite, quo commiſſa eſt illi Regni adminiſtrandi poteſtas, hanc poteſtatem, ſine qua recte Regnum adminiſtrari non poteſt, eſt etiam conſequutus.

At ni res vrgeat, quod Status conſuli debeant, oſtendũt Philippus Auguſtus, Philippus Pulcher, Ioannes Valeſius, & Carolus v. qui Status propterea conuocarunt. Vt teſtantur [a] Froſardus, Gaguinus, & Paulus Æmilius.

a H pag. 113. 114 115. 117 119. & 120.

Et ex vnico facto huius capitis iuſtitia ſatis oſtendi poteſt. Reliquerat Ioannes

Valeſius, conſentientibus Francis, pro ſua liberatione, Eduardo Anglo Aquitaniā. Eduardus Waliæ Princeps, Regis Eduardi filius, qui Aquitaniam regebat cum eſſet pecuniis exhauſtus, cœpit Aquitanos ſuperindictionibus, gabellis, & capitationibus premere: Aquitani, duce Comite Armeniaco, ad Carolum v. Ioānis filium appellarunt, re ad concilium delata & cauſa maturè diſcuſſa, fuit appellationis cauſa iuſta iudicata, commiſſa fuit in Parlamento Pariſienſi: fuit in ea Princeps Waliæ citatus, & cum ad iudiciū non ueniret, fuit illi bellum indictum. Teſtes ſunt,[a] Gaguinus Froſardus, & Paulus Æmilius.

[a] fol. H. pagina 117. 119 & 120.

Videretur hic addi poſſe pro quarto capite, ſi tractatur de religione, illiúſque cultu immutandis. At caput hoc legitimum vtique non eſſet, Et eſt ratio, quia non eſt ueriſimile quod Status hanc poteſtatem tranſtulerint in Reges: quin immo, quia

& ſi voluiſſent transferre non potuiſſent, cum & Rex, & quilibet ex Statibus, teneãtur Deo ex voto facto in Baptiſmate, nec ideo poſſunt aliquid de religione ſtatuere, quæ fundata eſt in angulari Petra, & eſt cultus eius ſub diſpoſitione Vniuerſalis Eccleſiæ, & Pontificis, cui illam Chriſtus commiſit. Faſſus eſt Clodoueus Magnus, ſe religionem ſine ſuis immutare non poſſe, falſam licet, & reprobatam.

a fol.H. pa.121. *Teſtantur Turonenſis, & Aimoinus,[a] et Pipinus, Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Ludouicus diui Pater, & Carolus VI. qui de rebus eccleſiæ tractarũt, in rebus fidei, ſemper ſunt Eccleſiæ Iudiciũ ſequuti: teſtantur[b] Cõtinuator Aimoini, Gaguinus & Paulus Æmilius.*

b fol.H. pa.122. 123.124 & 125.

Quomodo Status poteſtatem habeant.

VT videamus quomodo Status poteſtatem habeant, dicēdum eſt, quod aut habent in quolibet particulari, aut in aliquibus Particularibus, aut in communi. Non in quolibet particulari, quia ante communionem, nullus particularium illam habebat, nec vlla eſt ratio cur poſt communionem, illam habeat, quin immo nec expediret, vt quilibet illam haberet, quia eſſent plura paria Imperia, & alteri non obedientia, & publica res propterea in confuſionem deduceretur, vt eſt ſuprà dictū. Non in aliquibus particularibus, quia ſic non habebant ante communionem, nec ſubeſt ratio, vt poſtea habeāt, omiſſa poſitiua, ſequitur vt habeant in multitudine, & communione. Et propterea cum eſt aliquid à multitudine agendum, neceſſe eſt vt fiat multitudine conuocata.

A quo Status habeant poteſtatem.

PROBATVM eſt ſupra Regnum à natura fluxiſſe, & neceſſariam poteſtatem ab eadem natura recepiſſe: ſed quicquid eſt à natura, eſt à Deo, à Deo igitur poteſtatem Status receperunt. Præterea non occidere hominem eſt de iure diuino, nec priuatus quiſquam, præterquam ad defenſionem, poteſt illum occidere. Sed Status ante Regis electionem, & poſt electionem, Rex poteſt hominem per iuſtitiam occidere: habent igitur, & Status, & Rex, à Deo poteſtatem. Iuri enim diuino derogari non poteſt, niſi à Deo. Teſtantur omnes ſcripturæ ſacræ, ac profanæ, & Reges ipſi in diplomatibus vbique fatentur.

Quibus ex cauſis Status conuocari debeant.

LATE de iſta quæſtione dixerunt, Dominus de Marigliac, ac Michaël Hoſpitalius tunc Franciæ Cancellarius, ille dum ſub Rege Franciſco II. de Regni pace conſultatur, & iſte dum ſub Carolo IX. Status eſſent conuocati: At, vt credo, inſignes iſti viri non exactam huiuſce materiei cognitionem inquirere voluerunt: Sed id duntaxat reſpexerunt, quod tunc perſuadere nitebantur. Ideo dicendum mihi videtur quòd,

Duæ ſunt cauſæ, quibus Status conuocari debent. Neceßitas nempe, atque Commoditas. Et ſic, quod Status conuocari debent, aut neceſſitate, & pro illis rebus peragendis, quæ abſque Statuum autoritate perfici non poſſunt. Aut commoditate, & vt facilius ea exequantur, quæ abſque ipſorum autoritate fieri, æqua tamen facilitate minimè poſſunt.

Capita principalia neceßitatis reducũ-

tur ad tria. Commoditatis verò ad duo.

Primum neceßitatis caput eſt, pro his peragendis, quæ ad illam pertinẽt poteſtatem, quæ non eſt ex Statibus in Regem tranſlata.

Secundum, pro his, quæ pertinent ad poteſtatem illam, quæ eſt ad Status abſolutè deuoluta.

Tertium, pro his, quæ pertinent ad poteſtatem, quæ eſt ad Status reuerſa, nõ abſolute, ſed cum reſtrictione, Aut perſonarum, Aut temporum, Aut locorum.

Commoditatis verò primum caput eô tendit, vt facilius & auguſtius perficiãtur ea, quæ Rex fieri percupit.

Secundum, vt cauſæ calumniandi, & odio proſequendi, aut Regem, aut Regis Miniſtros, è medio tollantur.

Ad primum caput neceßitatis ſpectat. Si Regem nondum elegerunt, Regem eligere. Conſentiendo, Regni partem alienare, Bella offenſiua decernere, Indi-

ctiones non neceſſarias imponere.

Ad ſecundum. Penitus inhabilem Regem, talem declaratum, & ſucceſſorem non habentem, deponere, & nouum Regem eligere. Stante Regis, ac ſucceſſoris inhabilitate, Regentes conſtituere. Inhabilibus Regibus tutores non habentibus, aut ſi habent diſsidentes, tutores, ac Regni Regentes dare.

Ad tertium. Si plures de Regno contendant, verum Regē declarare. Si durāte ſucceſsionis incertitudine, de Regni adminiſtratione contendant, declarare Regentem. Si plures ſunt ſucceſſores, & plura Regna, & ſint de Regnis diſcordes, aſſignare cuique Regnum. Poſita ſunt de his omnibus ſuprà exempla, & teſtes, ideo hic ſuperuacuò repeterentur.

Ad primum caput commoditatis attinet. Regnum, Regni Coronam, *& adminiſtrationem aſſumere. Succeſſorem,* Regem *declarare & coronare.* Regna, *ſi*

plura ſunt ſucceſſoribus deſignare. Inſigniores Regni Officiales creare. Si eſt ex Regno exeundum, exitum indicare, vel propterea Regentem conſtituere. Regni ſecuritati prouidere. Leges ferre. Regni vtilia diſponere, ac publica negotia expedire. Tractare res inſignes. Regni Maieſtatẽ oſtẽdere, externarum nationũ Oratores recipiendo, nuptias celebrando, & ſimilibus. confirmare ſubditorũ animos, ſi quid turbationis imminet. Protegere Eccleſiã. Hæreſes extirpare. Pietatem in Eccleſias, & pauperes, demonſtrare.

Ad ſecundum caput. Reſtituere militarem diſciplinam, & Iuſtitiam. Pacem facere. Regni terminos ſtatuere. Iura reddere in arduis. Iudicare inſignes rebelles. Corrigere Magnates. Diuidere plura Regna. Diſcutere cauſas diuortij inter Regem & Reginam.

Licet enĩ omnia hæc per Reges, ſine Statibus expediri potuiſſent, nihilominus, vt

illuſtrius fierent, vt citius in populi cognitionem tranſirent, vt facilius populus illis aſſentiret, & vt minori cum difficultate exequutioni demãdarentur, Vt à ſe, & miniſtris ſuis odij, calumniæque cauſas ablegarent, Guntrannus, Clotarius, II. Dagobertus I. Pipinus, Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Lotharius, Carolus Caluus, Ludouicus Balbus, Carolus Craſſus, Ludouicus Craſſus, Ludouicus Iunior, Ludouicus Diui Pater, Philippus Pulcher, Philippus Valeſius, Caroli VI. & VII. & Ludouicus XI. hæc pluries cõuocatis Statibus, fieri voluerunt. Vt Turonenſis, Aimoinus, Continuator illius, Eginhartus, Regino, Ado Viennenſis, Sigibertus, Otto Friſingẽſis, Gotfridus Viterbienſis, Vrſpergenſis, & Gaguinus pleniſsimè teſtantur.[a]

a fol. K. pag. 155. vſque ad fol. O pag. 215.

A quo debeant Status conuocari.

STATVS *conuocare ad illos pertinet, qui Regni adminiſtrationem habent. Et ideo ſi Rex eſt habilis, pertinet ad ſolum Regem. Si eſt inhabilis, pertinet ad ſucceſſorẽ, ſi habilis eſt ſucceſſor: ſin autẽ, pertinet ad illum, qui publicam rem adminiſtrat. Videmus enim ex continuato curſu hiſtoriæ rerum Francicarum, ſemper Status vel à Rege, vel ab eius ſucceſſore Regnum adminiſtrante, vel ab alio Regnum regente, fuiſſe conuocatos. Et de Regibus quidem eſt nimis notum: de ſucceſſore, videtur in Carolo* v. *dum viuente patre Regnum adminiſtrabat: de Regente verò ſatis videtur in Ludouica Sabauda Magni Franciſci Regis matre, vt ſupra ex nominatis* [a] *ſcriptoribus, & Ferrono clarè videri poteſt.*

a fol.O. pagina 219. 220.& 221.

Quod ſi aliquando ab aliis conuocati fuêre. Vt cum Franci ſub Childerico 1, Lotharius patre ſuo Ludouico viuente,

Aliqui Primores Regni, & Richildis, poſt mortem Caroli Calui, & Goſlinus Abbas, ac Conradus Comes Pariſienſis, poſt mortē Ludouici Balbi, & alij, Status cōuocarunt. Ex Gregorio Turonēſe, Continuatore Aimoini, & Gaguino qui de illis loquuntur, [a] *apertiſsimè videtur quod non Statuum legitimæ conuocationes, ſed apertiſsimæ defectiones, atque cōiurationes fuêre.*

[a] fol. O pagina 224. & fol. P. pa. 225. 226. 227. & 228.

Et clarum eſt propterea, quod hi, qui, minis, armis, vi à Regibus, Statuum conuocationes extorquere nituntur, non Statuum legitimas conuocationes, ſed tumultus, ſeditiones, publicarum rerum cōfuſiones, Iuſtitiæ atque poteſtatis Regiæ deſolationes inſidioſè proſequuntur, vt attritis Regni viribus, illius Monarchiam, atque Coronam abſolutè inuadant.

Poſſet hîc commodè quæri. An Reges *ex more debeant conuocare Status. Et, An expediat, ſæpe Status conuocari. At*

quia hæ quæſtiones ſunt ab his, quas tra-ctare propoſuimus ſatis diuerſæ: Dicēdum duntaxat duxi, Verum non eſſe quod Reges vnquā ex more Status conuocauerint. Et quod Statuum conuocatio eſt penitus contra Regni inſtitutum.

Quod ad primum. Et ſi ex multorum hiſtoriis legi videatur, Reges quolibet anno, Kalendis Maij, ſtatus conuocandi a fol. p. pa.231. *morem habuiſſe. Sigibertus,*[a] *Gemblacenſis nihilominus nos docet, has annuas Statuum coitiones à verſutia maiorum domus introductas fuiſſe. Hi enim cum Regni poteſtatem inuaſiſſent, vt in inertia Regum illuderent, & populis imponerēt, illis ſemel in anno Regalis maieſtatis, & amplitudinis vmbræ copiam faciebāt, & iſtis, in anno ſemel, ſui Regis inanem oſtendebant effigiem: poſtea verò & illos deſidi otio alligatos detinebant, & iſtis abſolute dominabantur. quódque hoc verum ſit, teſtantur multi Reges, qui Regnū*

viriliter

viriliter adminiſtrarunt, & nihilominus nunquam Status conuocarunt, Vt Pharamundus, Clodio Crinitus, Meroueus, Childericus 1. Odo, Hugo Capetus, Robertus, Henricus 1. Philippus 1. Ludouicus XII. & Henricus II.

Et alij Reges non ex more Status conuocarunt. Sed quia fieri, Aut id volebant, quod abſque Statuum autoritate fieri non poterat: Aut id, cuius facilis executio à propenſa populorum voluntate pendebat, Et Reges propterea, vt abſque difficultate illam præoccuparent, Status conuocabant. Mitto quod cum longo tempore nōdum Parlamēta, ſupremáque Tribunalia erecta eſſent, vnde ius populi peterent, & eſſet propterea ad Reges ipſos recurrendum, multáque à populis cum Rege agenda eſſent, quæ agi omni tempore non poterant, dum Reges, qui iidem aliquando Imperatores erant, continuo bellorum ſucceſſu, nunc Italiam, nunc Germaniam,

nunc Hiſpanias, nunc alias Prouincias petere coacti eſſent, ſui copiam populis facere non poſſent. Iidem Reges, vt incommoda reſarcirent, certo quoque tempore locum indicebant, conuocabántque Status, vt ſcirent populi, quô Regem adire, Iuſtitiam conſequi, illíque ſua deſideria aperire poſſent: & Rex illorum conſilio maiores, arduáſque cauſas definire, Regníque negotia, ſi qua illorum cõſilio pertractari vellet, diſponere poſſet. Quadere vt dictum eſt, Pipinus, Carolus Magnus, & Ludouicus Pius, qui ob bella continua quæ gerebant, continuis ſuorum populorum auxiliis indigebant, & diutius extra Regnum morabantur, non ſemel duntaxat, ſed bis, terque, quãdóque ſingulis annis Status conuocarunt. Vt ex ſupradictorum curſu facile videri poteſt.

Et quod ad ſecundũ, Cum fuerit ſupra oſtenſũ, pro fælicioli faciliorią; ductu, fuiſſe homines à Natura inductos ad Regis

electionem, vt id Rex ſolus perficere poſſet, quod ob conueniendi difficultatem multi facere non poterant. Sequitur de neceſsitate in Statuū coitionibus in id recurri inconueniens, ob quod euitandum, Reges electi, atque in culmine Maieſtatis, & poteſtatis collocati fuêre.

FINIS.